

vum, ut libere possit filium baptizare a parente suo separatim. Quanquam enim hoc Cajetan. hic neget, eique Soto citato loco consentire videatur, hoc tamen per se loquendo, et ablati extrinsecis incommodis, verius videtur. Probat, quia dominus habet potestatem libere vendendi servum et asportandi in remotissimas regiones, ut ostensum est; ergo ob quemcumque finem vel causam hoc faciat, non erit injustus ex hoc præcise capite, quod separat filium a patre; nam utitur jure suo. Imo ex vi talis objecti actio illa non est mala, sed saltem indifferens, sicut vendere equum vel aliam quamcumque rem similem. Rursus finis ille vendendi patrem ad baptizandum filium non est malus; imo potius videtur habere honestatem charitatis et religionis; ergo neque facere illum actum propter hunc finem est malum. Nullam enim inordinationem aut aliam turpitudinem habet adjunctam. Responderi potest ex doctrina, quam Cajetanus indicat, illud medium non esse proportionatum tali fini, et ideo contra rationem esse unum propter alterum facere. Antecedens patet, quia illa duo pertinent ad diversos ordines. Nam baptizare est juris divini; potestas autem vendendi servum est jure civili seu gentium introducta; non ergo potest una actio recte ad aliam ordinari. Sed certe non video, quo principio vel fundamento nitatur hæc illatio. Videtur enim fundari in hoc, quod ea, quæ sunt juris humani aut mere temporalia, non licet facere propter ea, quæ sunt juris divini seu spiritualia; nam secluso hoc principio, nulla est vis illius illationis. Hoc autem principium est omnino falsum, ut patet, tum ratione, nam quæ sunt inferioris ordinis convenientissime ordinantur ad ea, quæ sunt ordinis superioris; tum apertissimis exemplis, nam temporale regnum res est humano jure introducta, et tamen convenientissime datum est summo Pontifici, ut optime et convenientissime possit spirituali potestate uti; imo nullus esse potest melior finis temporalis dominii et usus ejus, quam ut ad salutem animarum prosit. Imo, ut adhibeamus exempla propinquiora præsentis materiæ, qui habet dominium in servum, potest illum libertate donare, ut si velit, possit ad suos redire, sequi a suis filiis separare. Cui ergo facit injuriam, aut quæ est inhonestas, si hoc faciat animo seu intentione baptizandi filios? Quin potius existimo, si pater sit dignus morte, et sit in potestate ducis aut regis, vel illi parcere

liberaliter, aut illum occidere juste, nihil peccare, si eligat potius eum occidere, si nullam spem haberet spiritualis salutis ejus et timeret eum impediturum baptismum seu conversionem filiorum, quia tunc neque ageret contra justitiam, neque contra charitatem. Denique si Gentilis haberet servum infantem filium christiani, vel alicujus infidelis, nonne liceret illum emere solum fine baptizandi illum? Nullus, credo, negabit, hoc esse opus magnæ charitatis; et tamen ibi actio civilis, humana et temporalis, ordinatur ad spiritualement et supernaturalem finem; ergo idem est in præsentibus.

11. *Primum inconveniens.* — Respondetur.

— Dixi autem, per se loquendo et seclusis extrinsecis incommodis, quia per accidens posset hoc, vel non expedire, vel etiam non licere, et hujusmodi sunt nonnulla, quæ contra prædictam doctrinam objici possunt. Primum est, quia illa est quædam indirecta coactio parentis ad fidem; nam si intelligat se fore vendendum et a filio separandum, ut possit filium baptizari, potius eligit ipse converti ad fidem seu consentire baptismo filii, unde oritur morale periculum simulationis et fictionis. Respondetur, ibi nullam esse coactionem formalem et propriam, quia neque est actio injusta, nec fit ex formali intentione extorquendi consensum ab alio. Quod autem intervenire possit quædam inductio indirecta et quasi per accidens, id non habet malitiam intrinsecam. Solum oportet cavere ne, quando aliquis hoc titulo movetur ad fidem suscipiendam, facile admittatur. Oportet enim prius sufficienter examinare ac probare, an ficto vel vero corde accedat.

12. *Secundum inconveniens.* — Respondetur. — Secundum inconveniens extrinsecum objici potest, quia si propter hunc finem separarentur filii a parentibus, periculum esset, ne parentes filios occiderent, priusquam sibi eriperentur et baptizarentur. Respondetur, hujusmodi casum non tam frequenter evenire, ut timeri possit hoc periculum, moraliter loquendo; unde in individuo vix unquam occurrit. Quod si aliquando timeatur, facile est prius filium a patre separare, quam ipse possit in hujusmodi suspicionem venire. Ac denique si aliquando prudenter consideratis omnibus circumstantiis, probabiliter timeretur hoc periculum, nec posset aliter vitari, cessandum potius tunc esset ab hujusmodi actu, quam infans tali periculo exponendus esset.

13. *Tertium inconveniens.* — Respondetur. Tertium incommodum inferri potest, quia si christiani hoc jure uterentur in servos infideles captivos, etiam ipsi infideles eodem uterentur in christianos, quos apud se haberent captivos. Separarent enim parentes a filiis, ut eos possent, vel circumcidere, vel, aliis ritibus, suis falsis religionibus adigere, eosque in ipsis instituere et enutrire. Respondetur primum, ut dixi, hoc non esse tam frequens, neque oportere esse tam manifestum, et publicum, ut necesse sit in aliorum exemplum venire. Deinde existimo, paganos vel quoscumque infideles suo arbitrio ac voluntate id facturos, si in eam cogitationem incidant; nam existimant se habere verum jus domini in christianos, quos habent captivos, atque ita libere posse eos divendere, seu distrahere, prout voluerint. Putare etiam possunt obsequium se præstare Deo trahendo aliquem ad suam sectam; et ideo ex communi jure gentium arbitrari etiam facile possunt hoc sibi licere. Unde si fortasse hoc non faciunt, id est, quia non magno zelo suæ sectæ vel animarum ducuntur; sed solum student suæ cupiditati et commoditati; tamen si qui sunt, qui hujusmodi zelum habent, non dubito, quin libere id faciant, nulla habita consideratione eorum, quæ christiani facere solent. Non est ergo, quod ob timorem hujus incommodi, christianos homines hoc jure privemus.

14. *Quartum inconveniens.* — Respondetur. — Quartum incommodum est, quia hujusmodi infantes cum adoleverint, facile in apostasiam declinabunt, cum intelligent, quos parentes habuerint, et quam sectam secuti fuerint; nam quodam veluti naturali desiderio appetunt filii sequi et imitari parentes. Sed hoc non est morale periculum, alioqui etiamsi casu moreretur pater servus, non liceret domino baptizare filium, quia esset idem periculum. Item nec nunc liceret baptizari infantes filios Turcarum, quos christiani in bello capiunt, omnino a parentibus separatos; quod tamen est contra usum omnium christianorum. Imo nec liceret Ecclesiæ baptizare filios hæreticorum, propter idem periculum. Quando igitur hujusmodi pueri sunt a parentibus separati absque ulla spe redeundi ad illos, non est cur moraliter hoc periculum timeatur, tum quia res absentes minus movent; tum præsertim, quia facile fieri potest, ut vel nullam, vel parvam notitiam parentum et religionis eorum habeant; tum etiam quia si aliquam occasionem inconstantia inde su-

mere possunt, quæ eadem fere est in omnibus neophytis, doctrina et diligentia pastorum curandum est, ut eorum fragilitas præveniat; non vero sunt propter hanc causam ad id remotam tanto beneficio privandi. Nullum ergo apparet accidentale seu extrinsecum incommodum, tanta morali necessitate cum hoc actu conjunctum, ut propterea possit judicari moraliter, vel, ut in plurimum, illicitum. Quin potius, si prudenter fiat, non erit difficile, ut existimo, omnia inconvenientia vitare. Atque ex his sufficienter, et declarata, et confirmata relinquitur secunda assertio. Ea vero, quæ circa illam desiderari possunt sectionibus sequentibus expendantur.

SECTIO V.

Utrum filius infidelis servus, ac servi filius, licite baptizari possit, priusquam a parente separetur.

1. Doctores omnes, etiam hi, qui existimant licere baptizare hos infantes, hanc conditionem requirunt, scilicet, ut prius a parentibus separetur, absque ulla spe ad illos redeundi; quæ certe non caret difficultate; quam ut declarem, duplex ratio honestatis in hoc actu considerari potest: altera est religionis, altera justitiæ. Et similiter in contrario actu duplex potest esse malitia. Una est contra religionem, quatenus videri potest indigne conferri sacramentum. Nam licet parvulus ex se non sit indignus, tamen utens consortio parentis infidelis, non censetur subjectum dignum sacramento, propter periculum, quod ei creatur ex consortio parentis infidelis, a quo facile pervertetur filius et contaminabitur (ut sic dicam) baptismi sacramentum. Altera malitia esse potest contra justitiam, si fortasse in hoc actu fit contra jus paternum.

2. *Prima difficultas.* — *Objectio.* — *Diluitur.* — De priori res est facilior et extra controversiam apud omnes theologos. Omnes enim asserunt illum actum, saltem ex hoc capite, esse illicitum, quia si filius cohabitaret cum patre infideli, ac possit uti conversatione, ac familiaritate illius, et pater exercebit circa filium superstitiones actiones et ritus suæ religionis contra reverentiam baptismi debitam, et ipse filius educabitur magno periculo apostatandi a fide per baptismum suscepta. Quæ duo in eo casu ita sunt moraliter conjuncta cum illa actione, ut simpliciter censenda sit illicita. Dices: quamdiu filius non potest ratione uti, nullum est periculum,

quod a parente instruat in fide falsa; cum primum autem pervenerit ad usum rationis, tunc poterit, vel separari, vel hoc incommodum aliter præveniri. Respondetur primum, non solum hoc illatum esse incommodum contra religionem et dignitatem baptismi; sed etiam quod possit parens infidelis exercere superstitiones actiones circa filium, ut, v. gr., circumcidendo illum, vel aliquid simile. Deinde, etiamsi tempore infantiae non sit infans capax malitiae, aut falsae fidei, vel religionis, tamen non expedit prius eum baptizare postea separandum, sed potius e contrario prius separare postea baptizandum, quia in hoc posteriori ordine nullum est periculum; in priori vero semper est aliquod, vel quia amor parentum crescit, et consuetudine, ac familiaritate confirmatur, vel quia potest saltem pueris adhærere memoria earum rerum, quas parentes, aut coram filiis faciunt, aut eos ab infantia docent; vel certe quia tempus usus rationis est incertum, et providentia etiam humana incerta est. Unde facile accidere potest, ut filius sic baptizatus vel non possit separari a parente, vel certe, quod de facto non separaretur propter hominum negligentiam, vel malitiam. Sicut ergo, ut digne suscipiatur sacramentum, antecedere debet bona dispositio, et non expectari post sacramentum susceptum, ita hæc separatio, quæ est veluti dispositio parvuli, antecedere debet, non subsequi sacramentum.

3. *Objectiones.* — *Prima.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Quarta.* — Sed adhuc superest difficilis objectio, nam sequitur primo, non posse licite baptizari filios hæreticorum manentes sub cura, et cohabitatione parentum. Patet consequentia, quia licet Ecclesia habeat jus baptizandi hos infantes, eo quod parentes eorum baptizati sint, tamen ex parte periculi contra religionem, videtur esse idem incommodum, saltem apostasiæ. Nam huiusmodi infantes sine dubio imbuentur infidelitate parentum, et ab Ecclesia apostatabunt, ut experientia fieri videmus. Consequens autem videtur esse valde rigidum, et contra consuetudinem omnium. Secundo etiam sequitur filios eorum, qui ex Mahumetanis nuper conversis religionem christianam exterius profitentur in Hispania, non posse licite baptizari. Quia est morale periculum, quod a parentibus et superstitione tractentur, et ad apostasiam inclinentur, ut est etiam experientia notum; consequens autem est contra communem Ecclesiæ consuetudinem. Tertio

sequitur etiam filios jam adultos non esse baptizandos, nisi prius a parentibus infidelibus separantur, quia est idem periculum apostasiæ; hoc autem non ita fieri videmus. Nam si filius Judæi Romæ, vel alibi, baptismum petat, et post sufficientem instructionem firmus in fide appareat, non cogitur mutare domicilium vel parens, vel filius, ut baptizetur. Quarto denique accedit ratio generalis, quia hoc periculum videtur valde remotum, præsertim, si parens, et filius non cohabitent in eadem domo, etiamsi in eadem civitate maneant; sicut in aliis peccatis eadem occasio, quæ censeretur proxima, si esset in eadem domo, existimatur remota, si sit tantum in eadem civitate. Unde sumitur confirmatio, quia ad suscipiendum digne baptismum non solum est necessaria dispositio ad fidem, sed etiam ad charitatem; sed si parens sit fidelis, ita tamen iniquus, ut moraliter existimetur educaturus filium in pravis moribus, ita ut sit morale periculum, eum amissurum baptismalem justitiam statim ac pervenerit ad usum rationis, non propterea est omittendus baptismus talis infantis, nec infans sub cura talis parentis censetur indispositus ad baptismum suscipiendum, quia illa est dispositio valde remota. Ergo idem iudicium est de periculo amittendi fidem in tempore futuro, quia, ut dixi, ad digne tractandum hoc sacramentum non est minus necessaria dispositio ad charitatem, quam ad fidem. Non est ergo minus necessarium tollere occasionem amittendi charitatem, quam amittendi fidem.

4. *Ad primum.* — *Ad secundum.* — *Ad tertium.* — *Ad quartum.* — *Ad confirmationem.* — Hæc argumenta, ut verum fatear, in re morali non parvam ingerunt difficultatem, et possent alicui videri sufficientia ad probabiliter opinandum, hunc solum titulum non satis esse ad reddendum hunc actum illicitum, si alioqui jus justitiæ non desit, et possit esse moralis spes subveniendi alio modo his periculis, et adhibendi diligentiam, ne illa incommoda et sacrilegia sequantur. Nihilominus tamen, quia res est gravis et moralis, non est recedendum a communi sententia, cujus probabilitas magis constabit solvendo objectiones. Ad primum ergo imprimis dicitur, non esse in omnibus parem rationem, quia imprimis Ecclesia habet per se et directe jus ad baptizandum filium hominis baptizati, etiamsi pater hæreticus sit. Deinde habet etiam directam potestatem in patrem, ut ipsum possit coercere, ne filium falsis erroribus de-

cipiat. Ad hæc ex parte periculi, moraliter loquendo, videtur esse minus in parente hæretico, quia absolute non negat Christum, sicut ethnicus et paganus; et ideo quamvis ex parte subjecti destruat omnino fidem Christi, tamen ex parte objecti non omnino evertit Evangelium, et totam Christi doctrinam, et ita non omnino separabit filium a Christo et a nomine christiano. Rursus inter hæreticos moraliter nunquam desunt Catholici, qui possint instruere in vera fide huiusmodi infantes, quando pervenerint ad usum rationis. Sed, ut verum fatear, hæc omnia non satisfaciunt. Nam revera potest urgeri casus, in quo sit idem periculum infidelitatis, imo majus, quam in casu de quo loquimur, quia potest esse major penuria veræ doctrinæ, et minor facultas ad coercendos hæreticos. Parum autem refert, ad periculum tollendum, jus, quod Ecclesia habet, si non est potens ad illud exequendum. Parum item refert, quod Christi doctrina in totum aut in partem negetur, si omnino incurritur apostasia a fide, et Ecclesia. Quocirca, ut consequenter loquamur, idem dicendum videtur in casu de hæretico, et de quocumque alio infideli, si idem sit morale periculum. Aut igitur filius hæretici baptizatur a parente, seu a ministro hæretico, et tunc concedo nunquam ab eis licite fieri, quia semper id faciunt animo instruendi talem puerum in falsa doctrina, ac religione, ac baptismo contraria; aut baptizatur a ministro Catholico; et tunc dico, ut licite fiat, necessarium esse, ut probabilem spem concipiat, fore ut huiusmodi puer baptizatus possit suo tempore in vera fide instrui; quod si nulla via possit huiusmodi spem moralem habere, deberet certe potius a baptismo abstinere, supponendo parvulum non esse in extrema necessitate, in qua quilibet alius baptizari potest, ut supra dixi. Ad secundum de filiis novorum christianorum, de quibus periculum est, quod fidem tantum simulent et fingant, dicendum est, quamvis in communi sit hoc dubium vel incertitudo, tamen in particulari de hac vel illa persona non posse hoc iudicari, nec de hac re existere probabile aliquod testimonium, et ideo bona fide baptizantur huiusmodi infantes, nihil temere iudicando de hoc vel illo parente, quia illa generalis suspicio non satis est ad dirigendum actum morale in particulari. Quapropter si in particulari constaret de tali periculo et occasione, idem iudicium esset ferendum, neque essent baptizandi huiusmodi infantes, nisi prius a

parentibus separarentur. Ad tertium respondetur, concedendo sequelam, proportionem servata. Sic enim jure etiam Ecclesiastico cautum est in Concil. Tolet. 4, cap. 59, et habetur in cap. Judæorum, 28, quæst. 4, ut filii Judæorum (et idem est de aliis infidelibus) qui convertuntur ad fidem, statim a parentibus separantur, ne parentum ultra involvantur erroribus. Hæc autem separatio fortasse minus necessaria erit in his, qui jam convertuntur in adulta ætate, quam in aliis, quia cum illi proprio arbitrio convertantur, et prius instruantur de falsitate et deceptione suorum parentum, minus videtur esse periculi, quod ab eis iterum decipi possint. Sed hoc ad prudentiam magis spectat, et ideo in particulari considerata hominis capacitate, et modo conversionis, et parentis diligentia ac pertinacia, iudicandum est, quanta sit hominis separatio conveniens, aut necessaria. Et per hæc fere patet solutio ad quartum. Negamus enim hoc periculum non esse morale et occasionem proximam, si revera pueri ita sint in consortio parentum infidelium, ut ipsi possint, vel superstitiones suas circa ipsos exercere tempore infantiae, vel eos docere falsos errores, si cum eis nutriantur usque ad tempus usus rationis. Quæ autem cohabitatio, vel conjunctio sufficiat ad hoc periculum, vel e contrario, quæ separatio sufficiat ad illud tollendum, non ad doctrinam pertinet, sed ad prudentiam. Pendet enim ex particularibus circumstantiis. Aliquando enim fortasse sufficit absentia ab eodem oppido; interdum erit major necessaria; aliquando vero forte sufficit, ut in eadem domo non cohabitatio, neque ullum inter se consortium, vel familiaritatem habeant. Denique ad confirmationem negatur similitudo, quia periculum amittendi charitatem valde generale est, et commune omnibus, quod licet aliquantulum crescere possit ex iniquis moribus et exemplis parentum, tamen hoc scandalum est valde accidentarium, et nunquam inter Catholicos desunt sufficientia media et auxilia, quibus possit facile superari; at vero periculum apostasiæ est speciale, et multo majus, et constituens hominem in proxima et speciali occasione apostatandi a fide suscepta. Unde est alia differentia, quod lapsus charitati contrarius, quamvis adversetur justitiæ, quæ datur per baptismum, non tamen est directe contrarius professioni, quæ in baptismo fit; at vero apostasia a fide et Ecclesia est directe contraria professioni, quæ fit in baptismo. Et

ideo periculum apostatandi a fide multo magis repugnat condignæ administrationi baptismi.

5. *Altera difficultas.* — *Pars affirmans probatur.* — Superest dicendum de posteriori malitia, scilicet contra justitiam. Est enim difficultas, an dominus habeat jus baptizandi hujusmodi servum infantem non separatam a patre infideli, quamvis per accidens, et ab extrinseco non possit religiose uti hoc jure, ita ut, si de facto id faciat, non peccet contra justitiam, licet peccet contra religionem; vel e contrario, si in particulari possit vitare illud periculum, et incommodum contra religionem, possit licite baptizare servum suum renuente patre. Et videtur sane hoc non esse contra justitiam. Ad quod declarandum oportet advertere, aliud esse, filium esse in consortio parentis, aliud verò, esse sub cura illius; nam primum solum dicit concomitantiam, seu cohabitationem, secundum vero dicit potestatem unius in alterum. Unde recte possunt hæc separari, ut per se constat. Quamvis ergo filius non sit loco et convictu separatus a patre, recte intelligi potest proprie ac formaliter non esse jam sub cura paterna, si jus patris in alterum translatum sit; ita vero fieri videtur ex vi captivitatis, et legitimæ servitutis; nam per eam videtur jus paternum translatum in dominum; nam jure domini habet potestatem in servum ad regendum et gubernandum illum in omnibus, quæ ad ipsum pertinent. Ergo sive pater sit præsens, sive absens, potest dominus uti hoc jure suo independentem a voluntate patris absque ulla injustitia. Et confirmatur, nam separatio illa veluti localis, quoad convictum et habitationem, nullum novum jus confert domino; imo est actus juris et potestatis prius acquisitæ in ipsum servum. Ergo si illa interveniente potest baptizare filium, invito parente, imo si habet hoc jus utendi hoc medio ad eum finem, etiam ante omnem separationem habet hanc potestatem, et consequenter non peccat contra justitiam, si illa utatur absque separationem media, sed potius utitur jure suo. Et confirmatur secundo, quia licet parens semper necessario sit parens, et hac ratione videatur semper habere jus instruendi, et gubernandi filium, tamen hoc non obstat, quominus hæc potestas sit major apud dominum, et consequenter, quod ab ipso possit impediri seu præveniri (ut ita dicam) in hujusmodi actione et regimine, ita ut ipse non possit juste domino per vim resistere, quomi-

nus utatur jure suo; quamvis fortasse occulte oblata occasione possit jure paterno in filium uti; sicut est probabilis sententia, quod servus, quantumvis sit legitime bello captus, habet jus fugiendi, si potest occulte et absque vi, quamvis, quia absolute non manet dominus suæ libertatis, non possit per vim resistere domino eum impediendi, ne fugiat. Sic ergo in præsentem etiamsi parens simul cum filio maneat, et potestatem paternam aliquo modo in filium retineat, tamen a domino poterit juste impediri, ne illa potestate utatur; ergo potest dominus absque ulla injustitia illam sibi usurpare, et ratione illius filium baptizare invito parente. Quia, ut sæpe dixi, non est majus jus regendi, vel gubernandi filium, quam tuendi propriam libertatem.

6. *Pars negativa probatur.* — In contrarium autem videtur esse communis sententia. Nam fere omnes doctores, atque etiam Durandus sentire videntur, non facta separationem filii a patre, semper fieri patri injuriam, baptizando filium ipso invito, etiamsi uterque servus sit. Cujus fundamentum esse potest paulo antea insinuatam, quia licet pater ratione servitutis privari possit cura et gubernatione filii quoad usum, non tamen quoad proprietatem, et radicale jus paternum, quia est omnino intrinsecum et connaturale. Ergo, si filius manet conjunctus patri, non poterit pater juste prohiberi, quominus paternam curam exercent in filium. Sicut si servus conjugatus sit, quamvis jure servitutis possit juste separari a conjuge, vel venditione, vel donatione, etc., tamen, quamdiu non separatur, juste prohiberi non potest, quominus matrimonii actus cum conjuge exercent, petendo, et reddendo debitum, et debitam curam conjugis gerendo. Nam hæc actiones sunt valde intrinsecæ et connaturales, quibus per se loquendo non privatur homo ratione servitutis, quamvis per accidens privari possit propter locorum distantiam. Ita ergo videtur esse in præsentem casu, de quo agimus. Nam jus etiam patris erga filium est valde connaturale et intrinsecum, et ejusdem rationis sunt actiones, quæ ab illo manant. Non ergo potest per se omnino illis privari, quamvis per accidens possit media separationem et distantia loci. Privaretur autem omnino, si filius, existens in consortio patris, ipso invito baptizaretur. Nam intrinsece repugnat filium esse baptizatum, et manere sub cura patris infidelis, sive cum illo habitet, sive non. Nam per baptismum fit parvulus de jurisdictione

Ecclesiæ, et ideo fieri non potest, ut jus gubernandi parvulum jam baptizatum, in his quæ ad Deum pertinent, maneat apud parentem infidelem. Id enim, et juri Ecclesiæ, et sanctitati baptismi repugnat. Ergo per baptismum fit parvulus omnino extra jus paternum. Ergo, si pater non potest omnino privari hoc jure, neque etiam poterit filius baptizari, ipso invito.

7. Inter has sententias difficile est ferre iudicium; nam priores rationes videntur certe valde efficaces, et magnam facere probabilitatem; quoniam ex illis non est difficile solvere fundamentum posterioris sententiæ; quæ nihilominus securior est, et in praxi servanda, tum propter communem opinionem, tum etiam propter fundamentum ejus, quod est probabile, et exemplo adducto ex matrimonio fit valde verisimile, ex quo unicuique facile erit prioribus rationibus satisfacere, præsertim ad illud exemplum de fuga et jure libertatis; nam etiam si admittamus illam sententiam, quæ probabilis est, non est simile illud exemplum. Nam fuga est directe contraria dominio, et tendit ad destruendum illud; et ideo necesse est, ut qui habet dominium, saltem habeat jus impediendi fugam. At vero cura et gubernatio filii, præsertim in his, quæ ad animam spectant, non repugnat dominio, nec tendit in destructionem ejus; et ideo non oportet, ut ratione servitutis possit servus directe privari prædicto jure paterno in filium.

8. *Objectio.* — *Respondetur.* — Potest tamen ex hac sententia aliquis argumentari contra ea, quæ paulo antea diximus. Nam si non licet per se ac directe parentem omnino arceri a cura et gubernatione filii, ergo neque etiam licebit filium ea intentione dividere aut separare a patre, ut omnino liberetur ab illius cura et gubernatione, et ut non possit parens curam paternam circa illum exercere, sicut non posset servus conjugatus ea intentione per se ac directe divendi, ut separaretur a conjuge, nec possit matrimonii actus exercere. Respondetur negando consequentiam, quando in illo fine includitur honestum motivum, quale est baptizare, et salvare infidelem. Nam licet concedamus dominum non habere jus privandi patrem omni cura et gubernatione filii secum conviventis, tamen simpliciter habet jus separandi filium a patre, et consequenter etiam habet jus privandi parentem omni usu regendi filium, saltem media separationem, quasi per accidens. Ergo potest

hoc ipsum intendere propter quemcumque honestum finem. Atque idem erit proportione servata in alio exemplo, quamvis intercedat dissimilitudo. Nam in separationem unius conjugis ab altero, non potest proprie intercedere illa intentio baptismi, de qua agimus, cum uterque sit adultus; tamen, si aliqua alia intentio honesta excogitetur, quam possit dominus servi intendere per illud medium vendendi servum, et separandi a conjuge, non video cur non possit hoc directe eligere et velle propter illum finem.

9. *Dubitatio.* — *Prima propositio.* — *Secunda propositio.* — Sed quæri hoc loco potest circa hanc et præcedentem sectionem, quoniam infideles censendi sint ex his servis, cum quibus licitum est hoc jure uti; quod dubium specialiter tractari solet de Judæis, qui in aliquibus provinciis sub potestate christianorum principum degunt; auctores enim aliqui hos Judæos inter servos computare videntur, ut Cajetanus et Durandus, et expresse Angelus, verbo Baptismus, 3, num. 44, quibus favet modus loquendi Innocent. III, in cap. Et si Judæos, extra de Jud. et Sarac., dicens: *Judæos propria culpa perpetuæ servituti submisit.* Dicendum vero est in primis, hos Judæos, qui nunc sunt subditi principibus christianis, non esse proprie servos, sicut sunt mancipia; et ideo in eorum filiis non procedere doctrinam datam de filiis servorum. Ita docet Soto, et est consentaneum D. Thom. hic, ad 2; nam hoc sensu dicit, Judæos esse servos servitute civili, id est, tanquam subditos et tributarios. Et ratio est, quia licet Judæi ob culpam suam digni sint servitute; quo sensu videtur locutus Innocentius; et quamvis etiam in principio, quando per bellum superati sunt, juste potuerint in captivitatem, et servitutem redigi, quod etiam in prædicto textu insinuat; tamen jam nunc de facto non sunt hoc modo servi effecti, ut ipse usus satis docet. Tractantur enim ut vasalli et tributarii, nec vendi possunt ut mancipia. Deinde generaliter dicendum est, eos tantum infideles esse proprie servos, qui vel justo bello capiuntur, ut sunt ordinarie Saraceni, Turcæ, etc., vel qui pretio emuntur a veris dominis, qui jus habent illos vendendi; de quibus magna est quæstio, quæ ad hunc locum non spectat; nam hic non tractamus, quando aliquis legitime fiat servus, sed quomodo possit illi baptismus dari, supposito dominio in eum, tanquam in servum.